



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Regvla VII. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum  
persona.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## REGULA VII.

Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

**E**Xempla hujus Regulæ extant in cap. 2. Extrav. De auctorit. & usu pallii. in cap. Mandata 6. De præsumpt. in cap. Sanè De privileg. Est autem privilegium, privata quædam lex, can. Privilegia dist. 5. ut & nominis ætymologia indicat. Paulo J. C. jus singulare est, eò quod contrariationem juris communis concedatur, l. ius singulare 16. D. De legib. Et quidem si in gratiam personæ ejusque tantum prospectu, personale privilegium dicitur: si respectu rei vel causæ, reale, sicut videre est in l. 1. D. De censib. in l. Privilegia 196. D. De R. I. Igitur personale privilegium personæ coheret, & cum eadem extinguitur, per hanc reg. non aliter quam usufructus, qui & ideo personalis dicitur, §. finitur Inst. De usufruct. Ceterum juvat hanc Regulam juris civilis exemplis illustrare. Ecce maritus dotis nomine vel aliter conventus ab uxore, & contra uxor à marito, item socius universorum honorum, vel etiam unius rei, parens, patronus, patrona, liberique eorum & parentes, donator, miles, eatenus condemnatur, quatenus facere possunt, l. Sunt qui 16. cum aliquot l. seq. D. De rejudic. Junge Et Maritus 54. D. Sol. matrim. Vel licet, ne egeant, l. In condemnatione 173. D. hoc tit. §. præterea Inst. De action. At hoc beneficium, cum personale sit, non producit ad fidejussores ipsorum vel hæredes, l. Maritum 12. cum l. seq. D. Sol. matrim. l. Verum 61. circa princ. D. Pro socio, Et si fidejussor. 24. cum l. seq. De rejud. Exceptis tamen filius mulieris, qui patri hæredes extiterunt, quibus idem beneficium à jure communicatur, ut scilicet & hi

non nisi in id quod facere possunt, condemnentur, l. Etiam 18. D. Sol. matrim. Nec mirum, si enim id receptum est inter socios, propter jus quoddam fraternitatis, quod inter locios intercedit, profectò multò magis recipiendum est inter matrem & filios, propter jus necessitudinis naturalis, d. l. Verum. Sic privilegium immunitatis personæ concessum, cum eadem expirat, l. 3. in fine D. De censib. & de non solvendo veterali de rebus suis, ad emptorem earundem rerum non pertingit, l. Licitatio 9. §. fin. D. De publican. vide ibid. D. Hujus Regulæ ratio ex eo percipitur, quod dici solet, Cessante causâ, id est, personâ, quæ causa sui privilegii, cessat quoque effectus, id est, ipsum privilegium, ex cap. Cum cessante in princ. De appellat. Et quod alibi elegenter tradit Paulus J. C. in omnibus, inquit, causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat, l. In omnibus 68. D. hoc tit.

Hinc Regulæ objicitur beneficium restitutionis in integrum, & §. C. Vellejanis quod licet personale sit, tamen ad hæredes transit, l. Non solum 6. D. De in integr. restit. Et l. Hæredes 20. C. Ad SC. Vellejan. Sed respondetur, utrumque hoc beneficium non esse merè personale, sed & rei nomine concedi propter rationem, l. 1. D. De in integr. restit. l. 1. D. Ad SC. Vellejan. l. Exceptiones 7. D. De except. unde utrumque ad hæredes rectè transiunt, d. l. 3. in fine Et d. l. Privilegia.

## REGULA VIII.

Semel malus semper præsumitur esse malus.

**H**ujus Regulæ supra meminimus, ad rubricam hujus tituli. Intellige autem hanc Regulam de eodem genere mali. Nec enim is, qui semel adulter est, statim homicida, fur, vel alio crimine obstrictus præsumi debet, præcipue si de vitis oppositis agatur; veluti sunt, avaritia & prodigalitas, audacia & timiditas, sive nimia animi abjectio. Unde quod aliâ juris Regulâ dicitur, *Desinat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus*, ad ipsa peccata referendum non est, sed, in-

terprete Innoc. II. quantum ad vitam æternam. Sicut enim, si peccatis omnibus esset involutus, ita si in uno tantum maneat, æterna vitæ janua non intrabit, in c. fin. de poenit. dist. 5.

Et cum hæc Regula solâ juris præsumptione nitatur, facile refellitur adhibita probatione in contrarium, comprobando scilicet, eum, qui semel malus fuit, se emendasse, iustoque dolore peccatum suum eluisse: ulterius enim malus dici non debet, can. Errum cum can. seq. dist. 50. Exce-